illi ministrauit nec tamen est assistita co//

turpare conuiuium sed defe-
rebat obsequium. Iste igitur
disciplinam seruat tibi ma-
trona non imperet. et serui-
at non recumbat Sicut mar-
tha // conuiuio immo prela-
ta est ministranti que uerbum
potius audiebat Sed in mar-
tino ista regina utrumque con-
pleuit Et ministrauit ut
martha. et audiuit ut maria
Quod si quis hoc uti uolu-
erit exemplo per omnia tene-
at exemplum talis causa
sit talisque persona tale ob-
sequium tale conuiuium et
in omni uita semel tantum pre-
stare inquit postumianus nos-
tros istos ut martini non
egrediantur exemplum tua
constringit oratio Sed profite-
or tibi quod hec surdis auri-
bus audientur Nam si mar-
tini sequeremur uias numquam
causas de sputo diceremus
et uniuersis seue opinionis
opprobriis careremus Verum
sicut tu soles dicere cum eda-
citatis arguimur galli sumus.
ita nos in hac parte numquam
uel martini exemplo uel
tuis disputationibus corrigen-
dos fatemur Veruntamen hec
nobis iam dudum agentibus
quid tu tam obstinate sul-
pici taces. Ego inquit non
solummodo taceo sed olim de-
istis tacere disposui Nam
quia quandam uiduam uagam
nitidulam sumptuosam ob-
iurgauerim lasciuius uiuen-
tem uidentemque uirginem
adolescenti cuidam nimis
caro indecentius adherentem
cum quidem ipsam frequenter
audissem alios etiam qui talia
agerent increpantem tanta
mihi omnium feminarum cuncto-
rumque monachorum odia con-
citaui. ut aduersum me utreque
legiones iurata bella su-
sciperent Unde quaeso taceat
ne etiam hoc quod nos lo-
quimur ad meam referatur in-
uidiam ceterorum uos istorum men-
tio relinquatur ad martinum
potius reuertamur Tu galle
ut aggressus es ceptum opus
explica Tum ille Iam
quidem uobis inquit tanta
narraui ut satis facere studiis
uestris meus sermo debuerit
Sed quia uoluntati uestre non
obsecundare mihi non licet.